



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**


**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 26. De filia archisynagogi suscitata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXVI.  
DE FILIA ARCHISYNAGOGI SVSCITATA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Christo è nauì exeunti occurrit Iai- *Matt. 9.*  
rus Princeps Synagoga, deprecans pro *Marc. 5.*  
filia, in extremis versante, vt ei ma- *Luc. 8.*  
nus imponat.
- II. Cum Christus sequeretur eum, oc-  
currerunt serui nunciantes eam de-  
functam. Sed Christus patrem con-  
firmavit dicens : tantum crede &  
salua erit.
- III. Ingressus domum, eiecit turbam, &  
tribus Discipulis ac puella parenti-  
bus retentis, manu apprehensa eam  
suscitauit famâ vbique vulgante.

PROPHETIÆ.

1. **V**ocabis me & ego respondebo tibi, ope *Iob. 14.*  
ri manuum tuarum porriges dexte-  
ram.
2. *Psal. 117*  
Dextera Domini fecit virtutem, dexte-  
ra Domini exultauit me. non moriar, sed vi-  
uam. & narrabo opera Domini.

DO-

## DOCUMENTA.

1. **H**IC Iairus etsi esset homo valde honoratus, & vnus è Synagogæ principibus, tamen ad impetrandam sanitatem filia, non dubitauit se humiliare & se ad pedes Christi, nulla habita dignitatis suæ ratione abijcere, idque in loco publico, & tanti populi presentia. Vnde discimus si velimus animæ nostræ salutem consequi, pedibus conculcare omnes respectus humanos, & non curare quid mundus dicturus sit, vel homines cogitaturi: id verò tantum considerare, quid magis conueniat saluti animæ nostræ.

2. Tria fecit Archisynagogus, vt postulata à Christo impetraret. Primo prouoluit se ad eius pedes. Secundo impensè eum rogauit. Tertiò magnam erga CHRISTVM fiduciam ostendit, vt quod tactu manuum suarum posset sanare filiam. Sic nos, si exaudiri volumus à Deo in nostris precibus. Primò, conuenit vt cum magna humilitate adeamus, secundum illud.

*Eccl. 33. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Secundo, vt ne ex consuetudine oremus, vel tepide, sed cum affectu & interno desiderio, sicut fecit bonus Moyses, quando Deum precatus est, vt aut ignosceret populo, aut se deleteret è suo libro. Tertio, vt oratio nostra fiat cum fiducia confidendo Dominum nihil negaturum nobis eorum omnium, quæ iustè ab eo postulamus, secundum consilium S. Iacobi Apostoli.*

*Exod. 32*  
*Iacob. 1. Postulet, inquit, in fide, nihil hasitans.*

3. Christus rogatus ab Archisynagogo, nullo dato responso, confestim eum secutus est. Quo facto primum dedit subditis exemplum obedientiæ, quam promptè debeant obire suis Prælati. Et si Dominus omnium tam prom-

promptus fuit ad obediendum vni homini, quanto promptius homines obsequi debent ijs qui loco Dei ipsis aliquid imperant? Dedit quoque exemplum Prælati & Pastoribus, vt cum vigilantia & sollicitudine succurrant spiritualibus subditorum necessitatibus. Denique omnibus exemplum dedit, vt promptè operam & auxilium suum, cum exigiur, accommodent proximo sicut ille rogatus, vt operam præstaret sanandæ huius hominis filia, extemplo se in viam dedit, secundum illud: *Ne d cas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi cum statim possis dare.*

4. Christus inuitatus ab Archisynagogo, vt sanam redderet filiam, destitit prædicare & docere turbas; vt significaret, si officium tam spiritale & necessarium deserere potuit, multò magis deserenda minoris momenti negotia, ad subueniendum necessitatibus proximi, etiam temporalibus. Martha enim & Magdarena non sunt inter se contraria, sed sorores.

5. Christus vita restitutus filiam Archisynagogi, prius domo eiecit tibicines, reliquaque turbam tumultuantem, vt intelligeremus, nihil æquè obesse nostræ spirituali resurrectioni, ac terrenarum cogitationum turbam, nimiamque curam & affectionem erga nos ipsos, & res huius vitæ; quæ impediunt, quo minus cognoscamus nos ipsos, & locum Deo intercludunt, vt gratia sua non possit operari in nobis. Age ergo vt hanc importunam cogitationum inanium & inordinatarum turbam è corde tuo exturbes, & solum Iesum Salvatorem in illud admittas & mox videbis mirabilia, quæ ille in te pro animæ tuæ salute, operabitur.

6. Christus excitaturus hanc puellam, primo

mò extendit manum, eamque coniunxit cum manu puellę defunctę, deinde verborum suorum virtute puellam suscitauit: hoc ritu significans, si velimus excitari à morte peccati, non satis esse, vt ille extendat manum suam, auxiliumque porrigat, sed vt nos quoque concurramus coniungendo manum nostram ipsius manui, qua praueniēti Dei gratiæ cooperemur, deinde procuremus, vt nostrę manus porrectio ab efficaci voluntate surgendi è lecto peccati proficiscatur: si enim tantum id fiat ceremonia quadam & specie externa, potius erit hypocrisis; nec manum, sed chyrothecam tantum porrigemus Christo.

*Matt. 9.* 7. Christus mandauit parentibus resuscitata filię, vt nemini patefacerent hoc miraculum, cum tamen multi viderint resuscitatam.

At alibi ipse patefecit miraculum sanitatis restitutę mulieri hæmorrhoißę, quod tamen nemo aut viderat, aut cognouerat. Quare voluit nos docere, quid vnicique nostrum magis conueniret; & primò quidem vanitati deditis, vt occulte sua bona opera faciant conuenienter dicto ipsius. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Deinde magis perfectis, qui gloriam huius mundi pedibus calcarunt, vt potius sua bona opera ad exemplum, & auxilium aliorum manifestent, sicut dixit suis Apostolis.

*Matt. 5.* *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

8. Eodem exemplo docet nos Dominus, bona opera nostra, donaque diuina à sua Maiestate communicata, aliquando esse manifestanda quando vtilitas proximi, vel Dei gloria id postulat. Quod autem alibi voluit ea regi silentio id fecit causa nostra, sciens quàm simus pro

procliues ex fragilitate ad vanam gloriam intelligeremusq; eam fugiendam tanquam pestem, ad amandam verò humilitatem omnium virtutum fundamentum.



MEDITATIO XXVII.  
DE PARALYTICO SANATO AD PISCINAM.

PUNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Hominem annis 38. aegrum rogat, an Ioan. 5. velit sanus fieri? atque excusanti se sanitatem reddit, mandans vt grabatum tollat atque ambulet.*
- II. *Iudaeis eum accusantibus quod hoc faceret die Sabbati respondit: Qui me sanum fecit, dixit: tolle grabatū.*
- III. *Eidē postea occurrens Dominus ait: Ecce sanus factus es. Iam noli peccare; ne deterius tibi accidat.*

PROPHETIÆ.

1. **R**espiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. *Eccl. 51.*
2. *Ego pascam oves meas, dicit Dominus Eze. 34. Deus, quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmū fuerat, consolidabo.*

DO-